

sede, quae locata esse debet in cornu Evangelii in plano Presbyterii cum duobus tantum gradibus parvis et sine ullo suppedaneo, suggesto lapideo vel ligno ac sine baldachino desuper sed cum postergali tantum ex aliquo panno vel serico levi sine auro, coloris convenientis solemnitati, quae celebratur. N. 291 die 28. Jan. 1606.

Cf.: *Sedes celebrantis et ministr.*; *Usus pontifical.*

38) In Processione.

Vd.: *Instructio Clem. §. XXI. n. 9. 10. Sedes Episcopi in process.*; *Sedes Cleri in process.*

39) Coram SSmo.

Vd.: *Sedes celebr. et ministr. cor. SSmo.*; *Sedes laicor. cor. SSmo.*

Tollerari non debet consuetudo sive corruptela occasione concionum sedere in gradibus altaris majoris terga vertendo SS. Sacramento, sit vel non sit expositum.

S. R. C. 20. Septbr. 1806.

40) Situs.

Tandem scias oportet, sedilia adesse non posse in Ecclesia ita collocata ut sedentes vertant terga ad SS. Sacramentum et alia indecora orientur contra Constitutionem Pii V. editam anno 1556. Rota Recent. decis. 411. n. 2. part. 2.

41) Stercoraria.

Pontifex coronandus ducitur ante portam Ecclesiae Lateranensis ad sedem stercoreariam. Quod quidem concinit Romanis antiquis ordinibus XII., XIII. et XIV. priscisque scriptoribus, qui de ea solemniter Pontificum Romanorum ad Lateranum profectione scripserunt. Certe laudatus ordo XII. Auctore Cencio cap. 48. n. 78. ita inquit: „Ducitur a Cardinalibus ad Sedem

lapideam, quae sedes dicitur stercorearia, quae est ante porticum basilicae Salvatoris Patriarchatus Lateranensis et in ea eundem electum ipsi Cardinales honorifice ponunt etc.“ Item Caeremoniale Gregorii X., quod a Mabillonio tomo II. Musei Italici appellatur romanus Ordo XIII., n. 10. haec habet: „Postquam Papa descendit, faciunt eum ibi sedere in quadam sede marmorea, quae vocatur stercorearia etc.“ Ordo demum romanus XIV. Auctore Gajetano cap. 20. ait: „Descendit ad dictam Sedem stercoreariam et deponit regnum et accipit mitram et postquam Papa descendit, sedet in dicta Sede marmorea, quae vocatur stercorearia et veniunt omnes Cardinales etc.“ Similia leguntur in Colpertino pontificali, Piersanctiano codice, in Caeremoniali Burchardi et in antiquis Pontificum romanorum diariis, ubi agitur de solemniter ipsorum ad Lateranum processu. Porro de hujus Sedis, quae tot imposturis haereticorum praebuit ansam, ut notat eruditus Morettus de Presbyterio parte III. Sectione VI. ad calcem pag. 249., origine, conditione et fortuna quamplures quidem auctores scripserunt, sed multa paucis complexus est doctissimus Mabillonius in Commentario praevio ad Romanum Ordinem cap. 18., ubi primum recte docet, eos, qui istius sedis originem ad pseudopapissam Joannam referunt, facile ex hoc revinci, quod nulla hujusmodi Sedi mentio ante saeculum duodecesimum facta invenitur. Quod ut melius intelligatur, notare juvat, quod idem laudatus auctor advertit, hunc scilicet morem ab aliquot saeculis in novorum Pontificum institutione observari solitum, ut electus in Ecclesiam Lateranensem introductus primo in Throno pontificali, qui in apside illius basilicae antehac extabat, collocaretur, ubi omnes Episcopos et Cardinales, ut loquitur in memorato Or-

dine XII. romano Cencius, ad osculum admittebat; deinde vero ad sedem lapideam, quae dicitur stercorearia, in porticu ejusdem basilicae inter duas fores existentem adduceretur, in eaque sederet, cum interim caneretur hic versiculus ex psalmo 62: *Suscitat de pulvere egenum et de stercore erigit pauperem*, postea perductus ad capellam s. Silvestri prope Lateranense Palatium, ubi duae erant sedes porphyriticae, primo sederet ad dexteram in una ex illis sedibus, ubi a Priore basilicae s. Laurentii ferulam acciperet, quae est signum regiminis et correctionis, et claves ipsius basilicae, quia specialiter Petro Principi Apostolorum data est potestas claudendi et aperiendi et ligandi atque solvendi et per ipsum Apostolum omnibus romanis Pontificibus; demum cum ipsa ferula et clavibus accederet ad alteram sedem similem et ejusdem lapidis et tunc redderet eidem Priori tam ferulam quam etiam ipsas claves.

Haec ex ipso Cencii libro ad verbum fere referre visum est (male enim locum ipsum in citato Commentario praevio ad romanorum Ordinem Mabillonius retulit) ut omnes intelligant, sedem illam, quae stercorearia dicta est, non ita fuisse appellatam, quasi esset perforata, neque enim pertusa erat, uti aliquando propriis oculis agnovit idem Mabillonius, sed quod Pontifice in ea stante haec psalmi 52 verba canerentur: *et de stercore erigit pauperem*. Haec sedes ex marmore constat, aliae vero duae ex porphyrite. Non alia de causa sedes ipsas pertusas fuisse, quam quod in antiquis romanorum thermis repertae, ob materiae pretium, non ob formam, aptae judicatae sunt, quae ad novi Pontificis sessionem adhiberentur, notavit idem laudatus auctor in suo itinere italico, tomo I. musei italici, pag. 58. Quicquid sit, harum sedium primus vide-

tur meminisse Pandulphus in vita Paschalis II. cujus locum mox inferius referemus. In creatione siquidem romanorum Pontificum post Leonem IV., cui pseudopapissam illam successisse fabulantur, qui electi sunt, omnes in Solio Patriarchali intra basilicam posito collocati perhibentur, non vero in istis sedibus, quae extra basilicam positae erant. Sic Benedictum III., Leonis IV. successorem electum anno 850. Electores teste in ejus vita Anastasio „cum hymnis et canticis spiritualibus, ampla exultatione et ineffabili gaudio, in patriarch. eccles. Lateranensem perducentes pontificali Solio, ut mos est Pontificum canaque consuetudo demonstrat, posuerunt.“ Idem contigit in Nicolao I. Benedicti successore, quem electum anno 848. Electores, ut idem Anastasius tradit in ejus vita, *sacris acclamationibus in Lateranum introducentes Solio imposuerunt Apostolico*. Ex quo intelligitur, nihil tum novatum fuisse.

(Catalan. Caerem. Eccles. rom. l. I. p. 132.)

42) In Synodo dioec. int. Collegiat.

Vd.: *Sedes (Cleri, Episcop. etc.) Synod.*

Ferentina.

Antiquissima est de juribus praeminentialibus contentio inter Capitulum Collegiatae s. Agathae Oppidi Proxendi et alterum s. Mariae Terrae s. Laurentii, quae loca in dioecesi Ferentina sita sunt. Vehementius illa emersit anno 1732 occasione Synodi ab Episcopo Fabritio Borgia celebratae; tunc enim Capitulum Collegiatae Proxendi controversiam iterum excitavit. Verum in ipso litis vestibulo remansit dissentio per decretum, quo cautum fuit, ut ex loco sedendi in Synodo vel incedendi in publica supplicatione Synodi nemini illatum

praejudicium aut jus aliquod quaesitum censeretur.

Indictio alterius Synodi ab Episcopo facta anno 1767 fomentum praebuit, ut eadem de jure praecedendi quaestio renovaretur. Nam Canonici Collegiate Proxendi preces s. huic Congregationi obtulerunt declarari postulantes, sibi jus esse praecedendi Capitulis tum Collegiatae Terrae s. Laurentii tum alterius Terrae Juliani. Die 14. Februarii eiusdem anni preces remissae fuerunt Episcopo pro informatione et voto, cui injunctum etiam fuit, ut non retardata Synodi convocazione et celebratione omnes interesse habentes audiret eisque terminum praefigeret ad deducendum jura sua in s. Congregatione. Quare praeservatis juribus Partium consimili decreto, quo res repressa fuerat anno 1732, Synodus quiete summa et Sacerdotum frequentia habita fuit et absoluta.

Quamvis autem Capitulum Collegiatae Proxendi nullam aliam sollicitudinem deinde ostenderit, ut quaestio definiret de jure praecedendi, ad praeccludendum tamen aditum contentionibus, quae deinceps iterum exoriri possent, Capitulum Collegiatae s. Laurentii discutendum exhibet dubium in calce transscribendum.

Qui jura tuetur ejusdem Collegiatae s. Laurentii, argumentum debite sibi praeeminentiae primo loco petit ab Episcopi Ferentini iudicio, cui plurimum deferendum esse tradit. *Sperell.* decis. 179. n. 6., *Rota* coram Ansald. tom. 1. decis. 25. n. 6. et decis. 694. tom. 3. part. n. 25. coram Molin., praesertim quia Episcopi sententia immititur tum dispositioni juris tum probatissimis monumentis.

Quoad juris dispositionem animadvertit, ipsam Collegiatis caeteris, cum quibus lis agitur, esse antiquiorem proindeque decere, ut illis praecedat, ad

text. in Can.: Statuimus, ubi gloss. in verb. Novi dist. 61., et in Can.: Episcopus dist. 17. cap. 1. de Major. et Obedient., Pignatell. consult. 21. n. 20. tom. 6. et consult. 172. n. 10., *Rot.* coram Seraphin. decis. 326. n. 3. et in Andrien. praeeminentiarum 17. Febr. 1710 §. compertum coram Aldrovando. Hanc vero antiquioritatem, deficiente foundationis seu erectionis instrumento, probari etiam per aequipollens seu ex aliis conjecturis, adminiculis et documentis Collegiatae praeeistentiam indicantibus, *Ostien. in cap.: nobis n. 1. de Jurepart., Barbos.* in jus Eccles. 116. n. 4., et hanc probationem admitti, etiamsi contentio sit de praecedentia cum alia Collegiata, quae de sua fundatione et erectione doceret per Bullam pontificiam, quae posterior esse comperiretur, *Piton.* loc. citat. n. 5., *S. Rituum Congregatio in Caputaquen.* 16. Januarii 1620 et *Januen.* Praecedentiae 19. Julii 1710.

Constare autem ex firmissimis monumentis in Oppido s. Laurentii Collegiatae praexistisse longe ante annum 1564, idque deprehendi ex Bulla indulgentiarum sub datum Romae 28. Januarii 1482, in qua Ecclesia s. Mariae ejusdem Oppidi Collegiata appellatur: insuper ex publico quodam instrumento possessionis canonicatus anno 1530 exarato, in quo exprimitur convocatum tunc fuisse consilium Canonicorum dictae Ecclesiae ad sonum campanulae, dataque sede et loco in choro novum Canonicum fuisse inter caeteros cooptatum: praeterea ex Bulla institutionis Canonicatus sequenti anno 1521 concessae, in qua eadem omnia continentur: ac demum ex inventario die 23. Maii 1564 ad instantiam Archipresbyteri et Canonorum dictae Ecclesiae jussu Episcopi Ferentini exarato.

Constare etiam asserit, jus praee-

dentiae retroactis temporibus Collegiatae s. Laurentii fuisse tributum anno 1618, formiter examinatos fuisse Joannem Leonini annorum 87 et Joannem Antonium Masi annorum 50 Cathedralis Ecclesiae olim Canonicos eosque tam de propria scientia quam de auditu disertis verbis deposuisse, Presbyteros Ecclesiae s. Laurentii semper habitos et nuncupatos fuisse Canonicos atque in anteactis Synodis post Clerum Cathedralis omnibus de reliquo Clero praecessisse.

Horum vero e conspectu nihil obesse dicit documentum, quod a Canonice Collegiatae Proxendi exhibetur ad probandum, Ecclesiam s. Agathae in Collegiatae usque ab anno 1564 fuisse erectam; observat enim in hoc monumento ne verbum quidem fieri de erectione in Collegiatae sed de unione tantum plurium beneficiorum. Additque nullam huic documento praestandam esse fidem, cum integer litterarum tenor non fuerit transcriptus. *Rot.* coram Molin. decis. 1038. n. 59. tom. 4.

Perperam etiam praeferrere praestantiora insignia, quibus Archipresbyter et Canonici anno 1764 donati fuerunt. Animadvertit enim iisdem fere insignibus usque ab anno 1759 Capitulum Collegiatae s. Laurentii fuisse decoratum. Ac praeterea sustinet ejusmodi honoris insignia nullam denotare praeeminentiam neque alterius jurius praedictum inferre, prout definivit *S. Rituum Congregatio* apud *Ursay.* part. 1. disc. 6., *Benedict. XIV.* de Synod. dioeces. lib. 3. cap. 10. n. 7., *Rot.* cor. Ansald. tom. 1. dec. 25. n. 2.

A Canonice Collegiatae Proxendi nihil aliud habuimus, praeterea, quae in supplici libello exposuerunt, in quo tum ex erectionis documento tum ex insigniis a Sede Apostolica

obtentis jus praecedendi desumere conati sunt. Collegialitas Ecclesiae, cum sit qualitas accidentalis, praesumi non debet sed concludenter probari, *Card. de Luc.* de Benef. disc. 14. n. 7., *Rot.* dec. 47. part. 10. Recent.; sunt autem duo potissimum probationum genera ad evincendam alicujus Ecclesiae collegialitatem. Primum, est, quod ex legitimo foundationis instrumento petitur, *Abbas in cap.: nobis n. 7. de Jurepatron., Innoc. in cap.: Postulasti n. 1. eod. titul., Mascard.* de probat. conclus. 548. n. 1.; alterum: quod ex signis et conjecturis elicitur, *Lotter.* de re benef. quaest. 14. n. 54., *Barbos.* de jur. Eccles. lib. 2. cap. 6. n. 5., *Card. de Luc.* de praeeminent. disc. 8. et 31., *Rot.* dec. 215. n. 1. cor. Mantiv. et decis. n. 234. n. 2. part. 16. Recent.

Ad concludendum vero probationem Collegialitatis ex signis et conjecturis, distinguenda sunt signa aequivoca ab univocis et diligenter separanda, quae pertinent ad Collegialitatem de materiali, ab iis, quae de formali se habent. Utraque late explicat *Card. Petra* in comment. ad constit. 7. Innocent. IV. sect. 2. n. 19. et sequ. tom. 3., *Ferrar.* in Bibliothec. jur. can. verb.: Collegiata n. 32 et seq.

Caeterum animadverti debet, quod alia requiritur Collegialitatis probatio, ubi quaestio sit circa praeeminentias; alia vero si agatur de sustinenda provisione Apostolica tanquam de reservato. Siquidem in primo casu necessaria non est adeo rigorosa probatio, quemadmodum in secundo desideratur, *Scarfant.* ad Ceccoper. part. 3. addit. 27. n. 44. *Vot. in Thelesina Collegiate* 4. Junii 1736 cor. Emmo Crescentio.

In praesenti casu ad effectum tantum praeeminentiae quaestio instituitur. Inquirendum est itaque, an, quae afferuntur probationes pro Ecclesia Oppidi

s. Laurentii, ejusdem sint momenti, ut eam collegiatam fuisse evincant ante annum 1464, ac proinde ante Ecclesiam Proxendi.

Episcopus Ferentinus in sua informatione Ecclesiae Collegiatae s. Laurentii omnino favet. Testatur vidisse ac bene perpendisse antiquissima documenta, ex quibus „non obscura signa, conjecturae satis urgentes et perspicuae enunciatae eruuntur, quae dictae ecclesiae Collegialitatem indicare videntur“. Hinc ita concludit: Ex supra allegatis illis s. Laurentii primum post Capitulum Cathedralis deberi locum censerem in synodalibus actibus, alteris vero Proxendi secundum.

Ad EE. PP. modo spectat decernere:

An et cui debeat praecedentia tam in sedendo quam in incedendo in Synodo dioecesana aliisque functionibus ecclesiasticis in casu?

S. C. C. resp.: Deberi Collegiatae s. Laurentii.

Die 23. Apr. et 14. Maii.

43) Vacatio, a quo die computanda?

Vd.: *Sed. Episc.* (vacatio).

Sedes vacare incipit a die scientiae mortis certae et non praesumptae Episcopi seu Praelati, vel a die certae translationis, resignationis et hujusmodi. S. Congr. Episc. in una Neritonen. 24. Maii 1654.

Sedes semel vacans durat vacare tamdiu, donec literae apostolicae novi Praelati in curia promoti vel confirmati fuerint expeditae et Capitulo praesentatae; *Gonzalez* ad Regul. Cancellar gloss. 15. §. 2. num. 82. 83. et sequ., *Rebuffus* in praxi titul. de Simonia in resignat. num. 32. et 40., *Barbosa* par. de offic. et potestat. Episcop. allegat. 54. n. 160., *Reiffenstuel.* lib. 3. decretal. titul. 6. et sequ. et alii passim *per text. in Extrava-*

gant. Injunctae 1. de election. inter communes.

44) Vicarii Generalis.

Cf.: *Vicarius gener.*; *Pulvinar Vic. gen.*; *Sedes Dignitat.* etc.

Vicarium generalem, si est de gremio Capituli, non posse praetextu tituli Vicariatus occupare sedes Dignitatum, sed sedere debere in habitu vicariali in eadem sede, ubi sedebant Vicarii generales, qui non erant de gremio Capituli, et in hoc casu non lucrari distributiones. In habitu vero canonicali stare, sedere et incedere debere in loco suae receptionis ad effectum lucrandi distributiones. N. 1233 die 2. Julii 1640.

Vicarium generalem sedere debere in primo stallo supra omnes Canonicos, nisi tamen consueverit sedere in sede et loco separato. Canonicis vero sacris vestibus indutis eum nunquam praefendum esse. N. 1987 die 8. Junii 1658. Vicarium gen. Episcopi Troian. sedere debere in choro in loco solito. Num. 2329 die 20. Junii 1665.

Digniores locum deberi Vicario, deinde alium digniorem Archidiacono et sic deinceps aliis Dignitatibus. N. 1288 die 26. Jan. 1641.

Primum stallum in choro assignandum Vicario, firmandum in loco fixo, ita ut amplius variari non possit, absente vel praesente Episcopo, in privata seu pontificali sede interveniente; secundum vero stallum relinquendum esse Archidiacono et post hos aliis Dignitatibus et Canonicis. N. 1302 die 23. Mart. 1641.

Vicarium Canonicum ad effectum lucrandi distributiones quotidianas de-

bere in choro sedere in suo stallo canonicali. N. 1457 ad 1 die 11. Julii 1643.

Ad dub.: An Vicario gen., qui non sit de gremio Capituli, debeat in choro stallum, in quo residet prima dignitas? S. C. resp.: Servandam esse laudabilem loci consuetudinem. N. 1457 ad 2 die 11. Julii 1643.

Non licet Vicario Capitulari neque Vicario Archiepiscopi sedile episcopale, in quo Archiepiscopus conciones auditurus sedere consuevit. N. 1793 die 8. Aprilis 1656.

Non licuisse neque licere Vicario gen. sedere in sede episcopali. N. 3021 die 20. Mart. 1683.

Vicarium Episcopi praefendum esse Archidiacono; ubi vero idem consuevit sedere in sede separata, eum pro arbitrio non posse stallum Archidiaconi occupare. N. 1825 die 9. Junii 1657.

Vicarium non posse occupare primum stallum, si *hactenus ejus antecessores* consueverint sedere in separata sede. N. 1906 die 13. Julii 1658.

Licet Vicario generali, relicta sede separata cum tapete et pulvinari, qua uti consuevit, fer. V. et VI. hebdom. maj. sedere in primo stallo chori supra primam Dignitatem, eum ipsemet Archiepiscopus non in solio sed apud stalla canonicalia Matutinis assistat. N. 2117 ad 1 die 2. Julii 1661.

Non posse Vicarium occupare stallum Dignitatis, sed addendum sedile in choro et primum locum dandum Vicario. N. 2243 ad 1 die 4. Augusti 1663.

Ad dub.: An liceat Vicario habere tapetum vel suppedaneum parvum sub sede ex corio? S. C. resp.: *Serva i*

Decreta authentica. Tom. III

consuetudinem. Ibid ad 2. Vicarius gen. Pisaur., quando Episcopus exercet Pontificalia et ipse inveniit in habitu Protonotarii apost., in suo solito loco sedere debet. N. 2252 die 6. Septembris 1663.

Non licere Vicario gen. retinere sedem cum pulvinari in Presbyterio Cathedralis Baren. pro audienda concione. N. 3015 die 20. Mart. 1683.

Quando chorus est *in medio ecclesiae* ante altare, locum pro Vicario gen. posse destinari a sinistris extra gradus solii episcopalis. N. 3238 die 20. Jan. 1691.

Ad dub.: An liceat Vic. gen. assistere Divinis in sua sede ad partes extra scamna canonicalia et ante eam habere genuflexorium cum tapete et pulvinari vel potius sedere debeat in choro sine istis ornamentis sicut caeterae Dignitates et Canonici praeter Celebrantem habentem sedem ornatam? S. C. resp.: Negative ad primam partem, affirmative ad secundam. N. 4103 ad 7 die 10. Decbr. 1740; n. 4145 ad 7 die 20. Julii 1743.

Vicario gener. Alexan. non debetur primum stallum sed ponatur sedes coriacea in planitie chori in loco decenti et ab Episcopo designando. N. 4128 ad 1 die 28. Julii 1742.

Licet Vicario gen. tempore s. functionum tam absente quam praesente Episcopo uti sede appodiali segregata a Capitulo in Ecclesia Cathedr., ac etiam installationis novorum Canoniorum. N. 4246 ad 1 die 13. Julii 1754.

Sedes Vicarii gen. Cravinen. stare debet in loco solito a cornu evangelii et non est ornanda strato et pulvinari. N. 4174 ad 2 et 3 die 23. Julii 1745.

In functionibus ecclesiasticis peragendis *extra Cathedralis* Vicarius

gen. sedere debet in loco digniori a capite circuli Canonicorum, dummodo Canonici paramenti s. non sint induti. N. 4174 ad 4 die 3. Julii 1745.

Cum nullus pro Vicario gener. Episcopi determinatus sit locus, sed ille diversum obtineat, juxta diversarum consuetudines ecclesiarum, scribendum Episcopo, ut de sua respondeat ecclesiae praxi. N. 4176 ad 5 die 4. Septembris 1745.

Vicario dabitur locus, quem habere solet pro consuetudine diversarum ecclesiarum. *Caer. Ep. l. I. c. XIII. n. 12.*

Locus Vicarii generalis debet esse secundum consuetudinem ecclesiae, quae non est mutanda. S. Congr. Rituum in Alexandrina 15. Martii 1668 in responso ad 3. dub. apud *Barbosam* in summa apostolicar. decision. Collectan. 714. n. 1.

Vicarius Generalis non potest sedem arbitrio suo sibi parare, sed debet sedere in sede solita pro Vicario assignata. S. Congr. Rituum in Neritonem. 4. Maii 1606 apud *Barbosam* loc. cit. n. 2., et *Ventrigliam* tom. 2. annot. 14. S. 2. n. 7.

Vicarius generalis, licet sedeat in primo stallo chori, in quo sedere debet prima Dignitas, et habeat thuris et pacis honorem ante omnes Dignitates et Canonicos, non propterea dicitur occupare stallum sive locum Dignitatum et Canonicorum. S. C. R. in Placentina 13. Maii 1607 in responsione ad dub. apud *Barbosam* loc. cit. num. 3

Vicario generali non licet occupare locum Episcopi absentis nec parare sibi sedem cum tapetis et pulvino, sed idem debet esse ejus locus, absente Episcopo, quem illo praesente habere consuevit. S. Congr. Rituum in Brundusina 16. Julii 1605 apud

Barbosam loc. cit. n. 5, et *Ventrigliam* loc. cit. n. 7.

Vicarius generalis, absente Episcopo, debet habere primum locum super omnes Dignitates et Canonicos, non obstantibus consuetudinibus aliisque in contrarium. S. Congr. Rituum in Adrien. 7. Augusti 1610 et in Ferrarien. 20. Decembris 1614 apud *Barbosam* loc. cit. n. 7.

Vicarius Generalis Canonicus, cum sedet uti Canonicus, debet sedere in loco suae receptionis et in habitu canonicali; si vero velit praecedere uti Vicarius, debet habitum canonicalemente dimittere. S. Congr. Rituum in Compostellana 4. Febr. 1600 et in Vulturarien. 11. Aprilis 1601 apud *Barbosam* loco cit. n. 10.

Vicarius generalis, licet etiam ipso Episcopo praesente, in ecclesia, choro, processionibus, Synodo et aliis publicis et privatis actibus Canonicis et Dignitatibus praecedere debeat, tamen hoc intelligitur, quoties Canonici et Dignitates hujusmodi in habitu canonicali, etiamsi cappa et rochetto utantur, stare aut incedere consueverunt, non autem si pluviali, planetis aut aliis s. paramenti juxta cujusquam ordinis gradum sint induti, prout in distributione candelarum in die Purificationis et in receptione cinerum feria quarta cinerum et similibus diebus, quibus Episcopus solemniter celebrare ex ritu ecclesiastico teneatur: tunc enim non decet, ut Vicarius, praesertim si in suo quotidiano habitu existat, eisdem sacris vestibus paratis sive stando sive incedendo praecedat. S. R. C. in Lauretana et Nolana 23. Martii 1602 et 6. Septembris 1603 et in Tiburtina 6. Martii 1610 et in Metropolitana 7. Aug. 1628 apud *Barbosam* loc. cit. n. 16.

Vicarius generalis licet praecedat omnibus Dignitatibus et Canonicis, tamen ratione paramentorum in distri-

butione candelarum et Palmarum non debet habere locum digniorem quam Canonici parati; in adoratione vero crucis et quocumque Canonici non sunt parati, digniorem locum habet immediate post Celebrantem et similiter thurificandus est ante Canonicos, nisi sint parati, quia tunc post Canonicos est thurificandus. S. C. R. in Placentina 19. Maii 1067 in resp. ad 6. dub., et in Alexandrina 25. Martii 1608 in resp. ad 1. dub. Et quod in adoratione crucis praefendus sit Vicarius generalis ante Dignitates et Canonicos censuit eadem S. C. R. in causa s. Marci 4. Martii 1633 apud *Barbosam* loc. cit. n. 17.

SEMIDUPLEX.

1) Commemoratio.

Vd.: *Officium* (transf. in sequ. annum?).

Ad dub.: An in quibuscumque aliis (exceptis Dom. Paschae et Pentec. et feriis 2. et 3.) dupl. sive 2. sive 1. cl., comprehensis etiam festis Ascensionis et Corp. Chr., fieri possit commemor. de dupl. min. et semidupl. in utrisque vesp., Laud. et Missis (aeque ac fit de die octavae, si alicubi occurrat), si pro eorum transl. locus non supersit in toto anno? S. C. resp.: Affirmative ad primam partem, negative ad secundam, excepta missa sol. N. 4378 ad 3 die 15. Junii 1776; n. 4594 ad 8 die 12. Apr. 1823.

In missis dom. Palmar. et Vigiliae Pentec., in quibus excluditur commemor. festi simpl., licet facta fuerit in officio, facienda non est commemor. in missis de dupl. min. et semidupl., pro quorum transl. non superest locus in toto anno. N. 4378 ad 6 die 14. Junii 1776.

Commemoratio Sanctorum 9 l., qui in fine anni supersunt nec sunt trans-

ferendi in annum seq., ut alias decretum, aut sint ritus semid. aut dupl. etiam maj., diebus eorum propriis (etiamsi occurrant in festis 1. vel 2. cl.) facienda est ad instar diei octavae et dominicae tam in occurrentia quam in concurrentia habita ratione ad ritum, quo descripti sunt in propriis Calendariis; exceptis tantum ultimo triduo majoris hebdom., festis Paschae et Pentecostes cum duobus sequentibus diebus, in quibus nulla Sanctorum commemoratio omnino tolerari debet. Quoad ordinem vero, si die eorum propriae aliae commemorationes occurrant, servetur, ut prius fiat commemoratio, de quo secluso impedimento, die illa celebraretur Officium aut Vesperae integrae aut capitulum aut dimidia. N. 4395 ad 1—3 die 18. Decembris 1779.

Ad dub.: Occurrente in solemnitate Ascensionis Dom. aliquo officio ritus dupl. vel semidupl., quod ad anni exitum reponi nequeat, an de hoc officio praeter commem. in utrisque vesp., Laud. et Missa apponi etiam debeat 9. l. historica ex duabus vel tribus una? S. C. resp.: *Affirmative juxta alias decreta.* N. 5084 ad 2 die 17. Febr. 1847.

2) Commemor. omittenda.

In casu, quo in dominica Paschae et Pentecostes et in fer. 2. et 3. Pasch. et Pent. occurrant officia semid. et dupl. minora, pro quorum translatione locus non supersit in toto anno, de ipsis fieri non debet commemoratio sed omittenda sunt. N. 4378 ad 1 et 2 die 15. Junii 1776.

Vd.: *Missae vot. privat.* (Commemorat.)

3) Translatio.

Vd.: *Translatio festi semidupl.*